



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispv. XXXI. Vtrum æternitas addat aliquid rationis, an aliquid rei supra
durationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

possidetur, firmiter & quiete habetur. Ad designandam ergo immutabilitatem, & indicientiam aeternitatis, vñs est nomine possessionis.

Conclusio est affirmans. Textus autem S. Thomae nulla indiget declaratione.

DISPV TATIO XXXI.

Vtrum aeternitas addat aliquid rationis, an aliquid rei supra durationem.

Quomodo aeternitas, & immutabilitas distinguantur, & quae illarum aliam supponat, cap. 1.

Opinio Caietani in questione proposta, cap. 2.

Quid sentiant recentiores, cap. 3.

Opinio Ferrariensis, cap. 4.

Notationes pro verioris sententia, cap. 5.

Sententia superius exposita confirmatur, cap. 6.

CAPVT I.

Quomodo aeternitas, & immutabilitas distinguantur, & quae illarum aliam supponat.

Antequam doctrinam huius disputationis examinemus, praemittendum est, qua ratione S. Thom. & caeteri Scholastici aeternitatem ab immutabilitate tanquam diuersum attributum distinguant. Est autem absque controuersia, haec duo attributa ratione differre. Sic tradit S. Thom. in seq. art. & Caiet. in presenti ita supponit. Consentit etiam Aureolus, vt refert Capreolus in 1. d. 9. q. vnica, art. 2. argum. 5. primi ordinis.

Praeter hos autem, & aliquos recentiores nullus alius, quem ego legerim, huius differentiae fecit mentionem: quam quidem assignare difficile est. Primum quod Patres haec duo confundere videantur: nam Tertul. in lib. aduersus Hermogenem, cap. 39. leges aeternitatis inquit esse, vt diuersionem, & demutationem pati non possit, in quo propria ratio immutabilitatis sita esse videtur. August. vero lib. de natura boni, c. 39. ita loquitur: illa est autem vera aeternitas, quae vera immortalitas, hoc est, illa summa incommutabilitas, quam solus Deus habet.

Deinde si rationem attendamus, haec duo distinguere, non minus difficile apparet: cum enim aeternum sit, quod caret principio, & sine fine esse, idem omnino videtur esse, ac si dicas, quod eodem modo semper se habet: hoc autem immutabile est. Immutabilitas enim, prout Dei attributum constituitur, non solum est negatio mutationis, quae proprie dicitur mutatio, subiecto scilicet permanente, sed cuiuscumque mutationis, eius etiam, quae est de esse ad non esse, vt colligitur ex doctrina S. Thom. q. 9. art. 2. & docet Ferrar. contra gent. c. 15. in principio.

Caeterum haec nihil obstant, quo minus aeternitas ab immutabilitate ratione distinguatur: nam immutabilitas est plenitudo ipsius esse negatione mutationis significata: aeternitas vero quid aliud exprimit, nempe durationem, & perseverantiam in esse: quae quasi aetas, aut aeuum ipsius Dei esse dicitur: eam vero non tam expresse immutabilitas denotat. Addit etiam aeternitas negationem mensurae, quae immutabilitate formaliter non significatur. Est igitur aeternitas duratio rei siue mensura: immutabilitas vero status rei plene in suo esse nullius mutationis capax. Quare siue negationem attendas, siue rationem politiuam, immutabilitas

non est idem secundum rationem cum aeternitate, sed ita proxime eam consequitur aeternitas, vt facile vnam per aliam intelligamus. Ideo non multum solliciti Patres de ratione formali horum attributorum, vnum cum alio facile confundunt.

CAPVT II.

Opinio Caietani in questione proposta.

Certum est inter Scholasticos, non solum rationem formalem durationis, sed etiam negationem mensurae in aeternitatis conceptu contineri, ex qua quidem negatione dicitur interminabilis. Controuersia tamen est, vtrum praeter haec duo ipsi conueniat aliquis rationis respectus, quo eius formalis ratio plene explicetur, an tota sit realis, vt nec per intellectum compleatur. Cum autem quaerimus, num tota ratio aeternitatis sit realis, non reuocamus in questionem, vtrum ea sit res aliqua ex natura rei a deitate distincta, an non: nam quicquid est in Deo, est ipse Deus, vt disput. 16. & seq. ostendimus: sed quaerimus, vtrum nomine aeternitatis significemus aliquam rationem solum realem, nostro tamen intellectu ab essentia distinctam, vel etiam aliquem respectum rationis tanquam complementum ipsius eo nomine denotamus. Omnes etiam tanquam certum supponunt nomine aeternitatis solum respectum rationis non denotari. In questione vero sic intellecta variae sunt Doctorum opiniones.

Prima est Caiet. in hoc art. qui censet primo rationem formalem aeternitatis, quam ipse obiectiuam appellat, totam esse realem, nec aliquo respectu rationis compleri. Eam vero inquit esse rationem vniformitatis, ita vt aeternitas sit formaliter vniformitas: idque docuisse S. Thomam, cum dixit, aeternitatem consistere in apprehensione vniformitatis eius, quod est extra motum. Dixit vero in apprehensione vniformitatis, non quia consisteret in aliquo respectu rationis ex apprehensione, sed quia tota illa ratio vniformitatis est apprehensa, id est, conceptus obiectiuus vniformitatis, qui est realis.

Hoc vero nulla ratione probat Caiet. suaderi tamen potest in hunc modum. Ratio vniformitatis est vnitas in forma: ergo est realis, ac proinde etiam aeternitas. Supponit tamen haec ratio id, quod est potissimum, in aeternitate esse vniformitatem, vt plane docuit S. Thomas. Caeterum quia in hoc artic. etiam docuit, non solum vniformitatem esse de ratione aeternitatis, sed negationem etiam principij, & finis, licet eam includamus in conceptu illius, sicut omnes docent: idem tamen omnino probatur. Quoniam illa est sine ordine ad intellectum: ergo tota ratio aeternitatis, etsi negationem includas, sine respectu rationis completur.

Secundo explicans amplius Caietan. suam sententiam, dicit, aeternitatem esse ipsam vniformitatem formaliter non materialiter, hoc est, non vnitatem vniformitatis, vt quidam voluerunt, sic enim esset materialiter ipsa vniformitas, sed ipsammet vniformitatem. Ex quo patet, quam male ipsam intellexerint aliqui recentiores, qui asserunt, ex mente illius aeternitatem esse ipsam vniformitatem abstractam, non autem concretam in natura diuina, vt ita vniformitas, non sit vnitas in natura diuina, quo nihil minus cogitauit Caiet. vt legenti constare potest: potius enim dicit vnitatem, & vniformitatem esse idem, nisi quod vniformitas est

Questionis status.

Caietanus? Ratio aeternitatis estiam esse realem secundum Caietanum.

In vniformitate consistere probatur.

Explicatur amplius sententia Caietani.

S. Thomae, Caietani, Aureolus.

Heremitarum cum immutabilitate Patres confundere videntur.

Augustinus.

Ratio aeternitatis.

S. Thomae, Ferrar.

Aeternitas ab immutabilitate distinguitur.



vnitas contracta ad formam: est enim vnitas in forma: vnitas vero est ratio abstracta, & communis. Solum autem ad contendit Caiet. aeternitatem non esse vnitatem vniformitatis, vt formaliter intelligatur locutus S. Thom. cum dixit aeternitatem consistere in apprehensione vniformitatis, & ita fit ipsa vniformitas formaliter, non autem vnitas vniformitatis, quod esset materialiter. Tum etiam esset inutilis repetitio, quæ à Logicis nugatio appellari solet, si diceremus, esse vnitatem vniformitatis. Perinde enim esset, ac si diceremus, vnitatem vnitatis in forma. Vniformitas enim est vnitas in forma.

Liberatur à calumnia Caietani.

Tertio explicanda adhuc magis est Caiet. sententia. Quoniam recentiores aliqui Theologi similiter eam interpretati sunt. Notandum ergo est, nunquam docuisse, aeternitatem esse mensuram realem diuinæ naturæ, vt falso illi imputant. Solum dixit, rationem formalem illius esse realem, scilicet vniformitatem diuinæ naturæ sine principio, & sine fine. Quod vero addidit, esse quoque mensuram ipsius Dei, non ideo adiunxit, quod putaret, eam esse mensuram realem, cum manifestum sit non distingui realiter ab ipso Deo, & nihil seipsum realiter metiri posse: nec vero putauit, aliquam rationem mensuram in conceptu obiectiuo aeternitatis contineri, sed tantum docuit, ipsam esse mensuram, quæ ei accidentaliter possit conuenire. Hæc est doctrina Caietani fideliter recitata, quam nostram exponentes, & confirmantes, inferius refutabimus.

CAPVT III.

Quid sentiant recentiores.

Secunda opinio est recentiorum à Caietani quidem sententia parum diuersa, nempe rationem formalem aeternitatis esse vniformitatem durationis Dei in recto, quam dicunt esse realem; connotare vero in obliquo rationem mensuræ, quam docent, esse solum respectum rationis: quocirca attributum hoc vere esse quid reale ante omnem intellectus operationem, in cuius ratione contineatur ratio mensuræ fundamentaliter (vt aiunt) non formaliter; compleatur vero formaliter, per intellectum, sicut tempus multi arbitrantur re ipsa esse durationem motus, cui aduenit respectus rationis, qui non est de essentia ipsius.

Aeternitatem in rebus aliquo consistere connotatam vero respectum rationis.

Impugnatur.

Cæterum præterquam quod inferius huius sententiæ falsitas, sicut & præcedentis, ex professo monstrabitur, vt hoc per transennam dicam, in ea non satis intelligi, quomodo in ratione aeternitatis contineatur respectus rationis in obliquo connotatus, & tamen ratio aeternitatis realis sit ante intellectum. Nam si respectus ille ab ea denotatur, de ratione illius esse debet aliquis ordo ad talem respectum: ordo enim ad connotatum semper includitur in ratione formali connotantis: id autem est absurdum, tum in opinione ipsorum, quia iam sequeretur rationem aeternitatis ante intellectum non esse: ordo enim ad respectum rationis non potest esse realis: tum etiam absolute, quoniam ad respectum rationis non potest esse ordo nec realis, nec rationis, cum ad relationem non sit relatio. Porro autem ordinem illum ad connotatum esse de ratione connotantis, probatur: quia quoties dicimus nomine vnus rei aliquid aliud connotari, connotatum non est de essentia, sed aliquis ordo ad ipsum; alioquin nomine ipso non connotaretur.

Ordo ad connotatum est de ratione connotantis.

Quare quoties nomine vnus aliquid aliud connotatur, connotatum non potest esse respectus, sed quid absolutum: ordo autem ad illum est de ratione connotati.

Adhibent autem exemplum suæ doctrinæ prædicti Doctores hoc modo: sicut sapientia in Deo perfectio realis est, connotat tamen rationem attributi, quæ est per intellectum: ita etiam aeternitas est realis duratio in Deo, connotat tamen rationem mensuræ, quæ est per intellectum. Verum hoc exemplum non est accommodatum: nam licet sapientia sit Dei attributum, & ratio attributi sit per intellectum (attributum enim dicitur, quia intellectus noster Deo aliquid attribuit ad modum passionis) tamen sapientia, & quæuis Dei perfectio nominæ proprio significata non connotat hanc rationem attributi, sed denominatiue solum dicitur attributum: sicut nomen animal ita significat substantiam animalis, vt non connotet rationem generis, tamen si ipsum animal genus denominetur.

Exemplum non accommodatum adducunt recentiores.

CAPVT IV.

Opinio Ferrariensis.

Tertia sententia est, ad rationem formalem aeternitatis pertinere aliquid reale, videlicet durationem sine principio & sine fine, & aliquid rationis, nempe mensuram diuinæ substantiæ, & ita rationem aeternitatis per intellectum essentialiter compleri: quemadmodum tempus duo habet, & durationem motus, quæ est quid reale; & numerum illius, qui est rationis numerantis. Hanc sententiam tradidit Ferrari. contra gent. c. 15. non longe à principio: ex antiquis vero Scholasticis, qui huius difficultatis non menerunt, nonnulli plane affirmant, aeternitatem esse mensuram diuinæ substantiæ. An vero tota illius ratio formalis sit ratio mensuræ, vel sit complementum, vel aliquid connotatum non explicat. Ita docet S. Thom. in art. 2. huius quæst. ad 3. Albertus in 1. d. 9. art. 8. & tract. de quatuor coactis, q. 3. art. 1. & Henricus in Summa art. 31. q. 2. Solum addit S. Thom. aeternitatem esse mensuram non realem, sed per intellectum: id quod autem verum sit, inferius dicemus. Hanc opinionem vix confirmat Ferrariensis. Ei namque satis visum est si eam explicaret, & defenderet. Probari autem potest hæc ratio. Aeternitas præter durationem, sicut etiam tempus, formaliter habet rationem mensuræ: hæc autem conuenit ei per intellectum: nam cum non distinguatur à substantia Dei, cuius est mensura, non potest esse mensura realis.

7 Aeternitas ten per intellectum compleri in ratione mensuræ.

8 Ferrariensis.

Thomas. Alberto. Henricus.

Ratio præ hac sententia.

Hæc opinio facile inferius impugnabitur: interim tamen notandum est, quosdam recentiores non satis in sua doctrina constantes, perperam asserere, aeternitatem non esse formaliter durationem, sed mensuram durationis substantiæ diuinæ, id quod nulla ratione defendi potest. Si enim duratio ipsa est, quæ sub mensuram cadit, non videtur quid aliud in Deo mensura illius esse possit: neque enim vniformitas metiri potest durationem: illa enim est ipsa duratio permanens, vt prædictum est: nec immutabilitas, quia hæc ab aeternitate distinguitur, vt cap. probauimus: ratio ergo mensuræ conuenit durationi, si alicui conuenire debet.

Non conuenit loquuntur recentiores.

9

CAPVT V.

Notationes pro veriori sententia.

Ma igitur in hac re sententia est, aeternitatem aliquam ratione reali, & aliquo etiam rationis com.

Authoris mens.



compleri, & essentialiter constitui. Reale, est duratio manens, & uniformis sine principio, & sine rationis vero est, non mensura, sed mensurae negatio. Quare aeternitas in hunc modum definitur: est duratio permanens uniformis sine principio, & sine mensura carens. Haec sententia conuenire videtur cum ea, quam tradidit Ferrarientis; cum dixit, rationem aeternitatis & aliquo reali, & aliquo rationis compleri. Eo tamen differt, quod ille putat, illud rationis, quod dicitur, ad rationem aeternitatis pertinere; esse rationem mensuram: nos vero contra asserimus, non esse mensuram, sed negationem illius. Quare autem dicamus, hoc esse rationis, sequenti capite explicabitur. Ex quo etiam liquet, quantum haec nostra sententia ab alijs, quas commemorauimus, discrete per. Sed in eius explanatione, & confirmatione aliqua sunt obseruanda.

*Ferrarientis
opinio.*
Metaphysica.

*Mensura
reale à me-
surato reali
in diu-
sibus.*

Aristo.

*Mensura ac-
tuum.*

II

Primum est, si aliqua posset esse mensura realis alicuius rei, oporteret eam à re ipsa, cuius est mensura, realiter distingui: idem enim seipsum reali mensura metiri non potest. Ideo omnes plane fatentur, nullam mensuram realem Deo posse applicari: sed qui dicunt, aeternitatem esse illius mensuram, asserunt, eam non esse realem, sed secundum rationem, & nostrum modum intelligendi.

Secundo praemitenda nobis est definitio mensurae, quam dilucide colligit Aristot. 10. Met. cap. 2. & 3. Quamuis autem nomen mensura apud probatos auctores significet etiam id, quod pondere, aut capacitate, longitudine, altitudine, aut latitudine, animoque finitur, quam Philosophi mensuram passiuam, seu mensurabilitatem appellant, & instrumentum, quo metimur, quae dicitur actiua mensura: & quamuis Aristoteles solum actiuam mensuram definiat; inde tamen quid sit mensura priori modo, facile quoque constabit: Atque utriusque explicatio non parum nostram sententiam illustrabit.

Mensura igitur, inquit Aristoteles, intelligit vero actiuam bifariam dicitur. Tum primum in vnoquoque genere, quod caetera illius generis quodammodo metitur, quatenus eo perfectiora dicuntur, quo magis ipsi assimilantur: & hoc modo quamuis prima species sit quid reale, ratio tamen mensurae, quam ei tribuimus, est rationis. Nam re ipsa prima species non metitur alias, sed nos in intellectu utitur prima specie veluti instrumento ad cognoscendam, & definiendam caeterorum perfectionem. Tum etiam mensura proprie, & maxime, inquit Aristoteles, dicitur quantitatis, quantitatem vero intelligit, quidquid ad modum illius significatur, id quod 3. cap. non obscure indicat. Dixit enim mensuram debere esse homogeneam cum eo, quod ipsa metitur, & ita mensuram longitudinum, esse longitudinem, vocem, vocem, grauitatum, grauitatem. Constat autem, vocem non esse proprie quantitatem, aut saltem de grauitate id nullus concedet, cum sit qualitas; & tam enim in pondere, sicut in longitudine, proprie dicitur esse mensura. Est igitur mensura homogenea, veluti est pondus cum pondere, non cum longitudine. Atque in eundem modum duratio cuiusvis rei, de qua nunc est controversia, duratione aliqua, non grauitate metienda est, ad quam mensuram etiam vocis, cuius longitudo & breuitas in duratione posita est, reduci potest.

Quare Gabriel in 2. dist. 2. quaest. 1. art. 1. notat. i. iuxta quatuor modos quantitatis, quatuor etiam assignat modos mensurae. Primam dicit esse perfectionis, quam Aristoteles primo loco recensuit. Secundam vero quam Aristoteles posuit in quantitate, vel in ijs, quae ad modum quantitatis significantur, Gabriel in tres alias distribuit. Primam dicit esse multitudinis, secundam extensionis, tertiam durationis. Sed praeter has quatuor, est alia ut ex dictis constat, nimirum ponderis. Quocirca melius est has omnes ad vnam, quae est quantitatis vel ad modum illius reducere, & ab ea solum distinguere, quae est perfectionis.

Gabriel.
12

Definit autem mensuram proprie Aristoteles eo cap. 2. hoc pacto, est id quo cognoscitur quantum. Id est, cuius quantitate perfecta, intelligimus quantum sic aliud, siue longitudine, siue pondere, &c. Mox subiungit haec verba: *Et quantum, aut numero, aut vno. Omnis vero numerus vno.* Ac si dicat, id quo quantum cognoscimus, aut est numerus, aut vnitas, per quantum intelligit continuum, non discretum: continuum autem numero optime cognoscitur, sicut quantitas panni numero vlnarum, alia vero quantitate continua, aequali non posset, quia nulla alia esset notior, numerus autem nequit alio numero cognosci, sed vnitate repetita: nam si multitudini aliam multitudinem applices, non poteris eam metiri, nisi repetita vnitate ad vltimam peruenias. Ideo addidit Aristoteles, *Omnis vero numerus vno,* & tandem colligit, mensuram primam esse vnitatem. Dixit ergo quantum, id est, continuum, cognosci, aut numero, aut vnitate: nam tandem numerus ad vnitatem veluti ad primam mensuram reducitur. Ex qua doctrina in sequenti c. facile deducemus, mensuram formaliter esse respectum rationis.

Aristoteles.
*Mensura
quod secundum
Arist.*

13

Tertio notandum est ex Durando in 2. d. 2. q. 5. nu. 11. quantitatem, quae extendit substantiam sibi subiectam, non esse mensuram illius, atque eadem ratione durationem non esse mensuram substantiae, cui inest: mensura enim, est id, quo aliquid cognoscitur: res autem quanta non cognoscitur quantitate sua, nec substantia durans duratione sua: ergo neque quantitas, neque duratio sunt mensurae substantiae, cui insunt: quinimo quantitas ita extendit substantiam, atque duratio suo quoque modo eam afficit, ut ipsam reddant mensuram subiectam, hoc est, mensurabilem: quantitas enim adhibita substantiae quantae illam metitur, quia substantia quantitate extensa est, quod fieri non posset, si ea careret. Duratio etiam extrinseca, & aliena per intellectum applicata metitur aliam substantiam, quae in se durationem habet, ratione cuius sub mensuram cadere potest: at vero vnus cuiusque rei propria duratio ea metiri nequit: quia esse non potest causa, ut illa cognoscatur, ut quanta.

*Duratio cuiusque rei,
non est eius
mensura, sed
extrinseca
alia duratio.*

Deinde idem probatur ex Arist. c. illo 3. docet enim, mensuram debere esse homogeneam, id est, eiusdem rationis cum re, quam metitur, ut magnitudo cum magnitudine, longitudo cum longitudine, pondus cum pondere, & eodem modo duratio cum duratione. Vbi semper assignat Aristot. vnam magnitudinem esse mensuram alterius magnitudinis, & vnam longitudinem alterius longitudinis, &c. nunquam vero quantitatem, ut mensuram substantiae nude: sic enim mensura non esset homogenea. Quare quoties substantia subicitur mensurae, ratione propriae quantitatis, vel alicuius habitus

*Mensuram
debere esse
homogeneam
Aristoteles.*

14

habentis se ad modum quantitatis, subijcitur. Sic ergo substantia non subijcitur proprie durationi, tanquam mensuræ, sed ratione propriæ durationis sub mensuram alterius durationis cadit. Proprietas igitur quantitatis, quæ dici solet mensurabilitas, non est actiua mensura substantiæ, in qua est, sed passiuæ, qua substantia redditur capax mensuræ, id est, mensurabilis.

Quod si aliquis nimium contendat, esse genus quoddam mensuræ actiue intrinsecæ, & hoc modo quantitatem, & durationem esse mensuram substantiæ, in qua sunt; Aristotelem vero definisse mensuram, quam extrinsecus applicamus: oportet vt definitionem huius mensuræ intrinsecæ exhibeat, & nihil aliud esse inueniet, quam passiuam, quam nos libenter concedimus: quæuis enim res sua quantitate, aut duratione fit mensurabilis non ab ipsa, sed ab alia extrinsecus applicata.

Quarto obseruandum est, sensum, & scientiam quodammodo dici mensuram rerum, vt docet idem Arist. 3. illo c. citato. Dicuntur autem mensura non suorum obiectorum, sicut interpretantur Auerroes, Alexander, & S. Thomas in eum loci: sed dicuntur mensura rerum omnium, quæ sub mensuram cadunt, quatenus sensu, & scientia applicamus vnitatem, qua res metimur, cognoscetes, quantæ sint. Quare ad mensuram actiuam pertinere videntur, veluti Arist. 4. Phyl. c. 14. text. 13. de Anima dixit, esse numerum numerantem, quia cognitione diuidit, & numerat motum: sed mox subiungit Arist. in eo 3. c. quasi corrigens id, quod dixerat: *Atqui mensurantur magis, quam mensurent: sed accidit nobis, ac si alio nos mensurante cognosceremus, quanti sumus: eo quod toties nobis cubitalis mensura admota est.* Quæ verba difficilia, & ijs, quæ dixerat, contraria videntur. Sic autem sunt intelligenda. Scientia, & sensus potius sub mensuram cadunt: quam aliorum sunt mensura: perinde enim se habent, quando applicant mensuram ad cognoscendam rem quantam, atque si ab alio nobis adhiberetur mensura, vt inde cognosceremus, quanti sumus. Tunc autem scientia, & sensus noster se haberent quasi passiuæ, ideoque Aristoteles dixit, potius mensurari, quam mensurare: ergo eodem modo se habent, quando nos ipsi mensuram applicamus. Dicitur autem sensus sub mensuram, cadere, quatenus res cognita sub mensura comprehenditur, & finitur: sic enim ipsius etiam cognitionis eadem quodammodo atque rei cognitæ mensura est. Neque vero negat Aristoteles, cognitionem ad actiuam etiam mensuram pertinere: sed, inquit, eam potius sub mensuram cadere: ipsa enim duo habet, & applicare seu conferre mensuram cum re, quæ sub mensuram cadit, & hac ratione ad actiuam spectat; & inde cognoscere, quanta sit res, cui mensura adhibetur; & hoc modo ad passiuam videtur pertinere. Cumque hoc magis conueniat per se scientiæ, & intellectui, quam applicare mensuram, quæ ab alio applicari potest, ipsa scientia potius ad passiuam, quam ad actiuam mensuram reduci debet.

Postremo denique animaduertendum est, mensuram semper esse aliquid extrinsecæ adhibitum ad metiendum, vt optime docuit Scotus in 2. d. 2. q. 2. §. *Ad secundam partem*, siue vnitatis, quæ adhibetur ad metiendum, sit res, & substantia aliqua distincta, vt vna ad pannum metiendum: siue pars eiusdem rei, quæ mensura finienda est, vt in motu cæli, cuius vnâ partem accipimus, & eam repete-

Ratio mensuræ a passiuæ passio est quantitatis.

15
Aristoteles.

Auerr. eos. Alexand. S. Thomas. Sensus, & scientia quomodo ratio nem habeant mensura.
Aristoteles.

Expositio difficulta quædam verba Aristot.

16

Scotus. Mensura semper est quid extrinsecum.

tentes supra reliquum applicamus, totumque diuidentes metimur; sine sit sola ratio formalis vnitatis, qua in multitudine repetita numerus discernitur. Est igitur mensura semper aliquid extrinsecum rei, quam metimur, neque quicquam seipsum metiri potest. Ex quibus omnibus perspicue patet, rationem mensuræ, & mensurabilis in respectu solum rationis consistere.

CAPVT VI.

Sententia superius exposita confirmatur.

Hactenus iam sunt fundamenta: superest, vt ex illis nostram confirmemus, simulq; aliorum refellamus sententias. Nostra vero tres habet partes. Prima est, de ratione æternitatis esse durationem, quæ reale quid est, in quo non video esse discrepantes Doctorum opiniones; sed an in ratione durationis connotetur aliquid extrinsecum, inter eos est aliqua controvertia. Secunda pars huius sententiæ est, ad essentiam æternitatis nullo modo pertinere rationem mensuræ: hoc vero sic probatur.

Si æternitas in se haberet rationem mensuræ, aut esset realis mensura, aut per intellectum: realis esse non potest, neque relata ad substantiam Dei, neque ad aliquid aliud: primum quia ipsa nullam aliam realem durationem realiter metitur, vt constat, deinde quia substantiam Dei non potest realiter metiri, cum ab ea realiter non distingatur, vt patet, quod necesse erat, vt esset mensura realis, sicut in prima notatione dictum est. Postremo quia omnis mensura formaliter est aliquid rationis, vt eodem loco ostendimus, omnis vero vnitatis eatenus mensura dicitur, quatenus nostro intellectu deferuit ad cognoscendam alicuius rei quantitatem: hic autem est respectus quidam rationis. Ex eo namque, quod res aliqua assumitur ab intellectu, vt instrumentum, quo dignoscatur alterius quantitatem, non potest et aliquid aliud, quam respectus rationis conuenire: liquet ergo æternitatem non esse realem mensuram substantiæ, aut alterius durationis.

Sed neque potest esse mensura rationis, sicut est quæcumque mensura, hoc est, per respectum ad intellectum cognoscendam vnâ ex alio: quoniam vel esset mensura substantiæ Dei, vel aliarum durationum: non quidem substantiæ Dei: quia vt habemus ex tertia obseruatione, nulla duratio, sicut neque quantitas, metitur rem cuius est, sed ipsam reddat mensurabilem: cum igitur æternitas Dei sit substantiæ suæ duratio non metietur ipsam, sed nostro modo cognoscendi, si id fieri posset, faceret ipsam mensurabilem: cur autem neque hoc efficiat, paulo post dicitur: & hac ratione probat Durandum in 2. d. 2. quæst. 5. æuum non esse mensuram Angelorum, de quo fufius tractabitur disp. 33.

Deinde non potest esse mensura aliarum durationum: nam quamuis sit mensura priori modo ex ijs, quos enumerauimus in secunda notatione ex doctrina Aristotelis, nempe perfectionis, quia cæteræ durationes eo perfectiores esse cognoscuntur, quæ magis æternitati assimilantur: tamen non potest esse mensura posteriori modo, de qua nunc est controvertia, scilicet mensura quantitatis, vel alicuius admodum quantitatis; hæc enim, vt inibi explicatum manet, est vnitatis, vel numerus, qui ab intellectu assumitur ad cognoscendam alicuius rei quantitatem: æternitas autem non potest

17

18

Omnis mensura formaliter est quid rationis.

Durandum.

19

est alicui intellectui ad hoc deferuire: ergo nequit esse mensura aliarum durationum. Primum quidem ipsi intellectui diuino, cui omnia per se nota sunt, eam non deferuire, satis patet: deinde nec intellectui creato, etiam Angelico, probatur. Quoniam nullus ex duratione eterna Dei cognoscere potest, quanta sit alicuius alterius rei duratio, siue hæc sit finita ex vtraque parte, siue ex altera tantum, siue ex neutra. Si enim esset finita ex vna parte, vel ex vtraque, nullam proportionem cum Dei æternitate haberet: ergo ab ea definiti non posset. Si vero esset ex vtraque parte infinita: vt si Deus creasset ab æterno creaturam, quæ etiam in æternum duratura esset per Dei æternitatem, innotescere non posset, quanta esset eius duratio. Licet enim vulgo diceremus, illam æque cum Deo duraturam, ob id tamen non metiremur eam æternitate Dei, quia vtraque maneret æque ignota, & indefinita. Accedit, quod omnis mensura, vt notior fit, reduci debet ad vnitatem, vt ex 3. notatione constat. Quocirca quoties tempore metimur vitam, aut alios motus, ideo sumimus, vt mensuram motum primi mobilis, quia nobis notior est, & definitus parte quadam eius, veluti vnitatem repetitas, quæ & horas, dies, menses, & annos discernimus: hoc autem in æternitate facere non possumus: ergo illa non potest nobis esse mensura.

20 Ex his constat, de ratione æternitatis nõ solum non esse mensuram, vt 2. pars nostræ sententiæ asserit, sed etiam rationem mensuræ æternitati nullo modo conuenire, quæ tempori, ponderi, & alijs quantis tribuitur. Id quod expresse tradunt Durandus, in 1. d. 19. q. 2. ad 1. Gabr. in 1. d. 2. quæst. 1. art. 2. dub. 1. circa medium, Okam in 2. q. 1. aliquam uiam a principio. Mitto priorem rationem, qua id probat Durandus: vt enim aliquam vim habeat, ad aliquam ex nostris reduci debet. Posterior vero ratio est huiusmodi: sicut primum in vnoquoque genere non cadit sub mensuram alicuius rei eiusdem generis; ita etiam primum in vniuersitate rerum, quod est Deus, non potest aliqua mensura definiti: æternitas igitur non est mensura Dei: est tamen (inquit Durandus) mensura heterogenea omnium aliarum rerum. Quare non negat æternitatem esse mensuram aliarum rerum, sed tantum Dei: id ipsum docuisse videtur Alber. in 1. d. 9. a. 8. Quod si intelligat Durandus de mensura perfectionis, quæ est mensura priori modo, vt in 2. notatione diximus eius opinio vera est; & eius ratio solum probat, æternitatem non esse mensuram Dei hoc modo, de quo non est controversia. Si vero loquatur de mensura quantitatis, quæ est mensura posteriori modo, æternitas non potest esse mensura aliarum rerum, vt ostensum est, neque ratione Durandi satis probatur, Deum non cadere sub mensuram ex eo, quod perfectius in vno genere nõ cadat sub mensuram imperfectioris in eodem genere. Interdum enim metimur id, quod nobilissimum est, aliquo minus nobili, sicut motu primi mobilis durationem Angelicam, vt disp. 33. dicemus. Potius igitur æternitas ideo mensura definiti nequit, quia duratio illius, & principio caret, & fine.

Obijciat aliquis, Nazianzenum in oratione Natiuitatis, quæ est 38. ante medium vbi ita loquitur, *Æternitas, nec tempus, nec temporis pars vlla est (neque enim in mensuram cadit) sed quod nobis tempus est, Solus motus definitum, hoc æternis æuum est, nimirum ille quasi temporalis quidam motus & intervallum, quod simul*

cum æternis extenditur. Ex sententia igitur illius, æternitas ita refertur ad æterna, sicut tempus ad temporalia, sed tempus a temporalibus distinguitur; ergo & æternitas ab æternis.

Tum etiam æternitas extenditur cum æternis, sicut tempus cum temporalibus ergo sicut tempus metitur temporalia, fit etiam æternitatis æterna. Eadem verba habet in orat. 3. de Theologia quæ est 35. parum post initium, & in 2. in Paicha, quæ est 42. ante medium, vbi Pselus in eadem etiam sententia videtur esse. Respondeo, Nazianzenum eo loco non docere, æternitatem esse mensuram æternorum, quin potius asserere, æternitatem mensuram carere. Si autem æternitas mensura aliqua definiti nequit, sequitur eam ipsorum æternorum mensuram non esse. Quod si aliquando æternitas mensura Dei dicitur, non ideo sic appellatur, quia mensuræ definitio ipsi quadret, sed vt ostendamus, Deum nulla posse mensura definiti, dicimus, eius mensuram esse æternitatem.

22 Observandum etiam est, Nazianzenum non tam definiti esse intrinsecam Dei durationem, quæ vera æternitas est, quam durationem aliam rebus æternis veluti adiacentem, quam appellant intervallum, & quasi temporalem motum simul cum rebus æternis extensum, id est, ipsi æqualem: hæc autem æternitas re ipsa nihil est, sed solam imaginatione conficta: appellavit vero quasi motum, sicut optime notauit Nicetas in illam orationem 42. vt ostenderet dari non posse exactam æternitatis descriptionem, sed eam intelligi ad modum motus fluentis, & spatij habentis latitudinem. Quare idem Nazianzenus in Iambico 15. inter alias rerum definitiones de æuo ita inquit, *Æuum, quod absque tempore assidue fluit, æuum autem appellat ipsam æternitatem iuxta communem modum, vt in disp. 33. cap. 1. notabimus.* Dixit vero fluere absque tempore, vt significaret æuum re ipsa non habere successionem, concipi tamẽ ad motum fluxus.

Eodem sensu Damascenus 2. de fide c. 1. loquitur de æternitate: & Albert. in 1. d. 8. art. 8. ad 1. adducit definitionem æternitatis traditam ab Isaac lib. definitionum in hunc modum: *Est spatium continuum non intersectum.* Censet autem Albertus, sic tantum definiti extrinsecam quandam æternitatem, & rebus æternis adiacentem. Vera tamen æternitas est substantiæ Dei duratio, vel potius ipse Deus, vt ait Gregor. lib. 16. Moral. c. 20. & Augustinus in illud Plal. 101. *In generatione & generationem.* Qua vero ratione ipse quoque Deus dicatur auctor æternitatis, dicemus infra disp. 33. c. 1.

23 Tertia pars nostræ opinionis super est, quæ ex dictis facile colligitur, nimirum de ratione æternitatis hoc nomine significari, esse aliquid rationis. Illud autem est non positua aliqua relatio, nec solum negatio alicuius rei, qualis est carere principio & fine, sed negatio alicuius respectus rationis, nempe mensuræ, & videtur explicata illa particula definitionis, *Interminabilis*: hæc autem non tantum significat negationem principij, & finis in duratione, quæ est realis, sed etiam negationem mensuræ: ideo enim dicitur interminabilis æternitas, quia nec determinari, nec definiti aliqua mensura potest. Cumque mensura formaliter sit aliquis respectus rationis, vt c. 5. notatione 2. probatum est, negatio illius erit etiam negatio alicuius entis alio modo, quam alia negationes, quæ licet sint entia rationis, id est nullam aliam entitatem habeant, quam

Durandus. Gabr. Okam.

Ratio secundum Durandus quoniam probet.

Albertus.

Nobilissimum ignobilissimum motus possibilis.

Nazianzenus. Quæstio ex auctoritate Nazianzenus.

Pselus. Soluitur.

Mensura Nazianzenus.

Nicetas.

Nazianzenus.

Damascenus. Albertus.

Isaac.

Gregorius. Augustinus.

Æternitatem completam per negationem mensuræ.

24

quam fictam per intellectum, sunt tamen negationes reales, & in ratione negationis nullum ordinem ad intellectum habent.

Hæc autem negatio, quatenus negatio, est aliquid entis rationis, & aduerbio, Semper, affirmatiue videtur significari, tamen si melius negatione illa exprimitur. Dicitur enim semper esse, hoc est, sub quocumque spatio durationis, quod etiam cogitari potest: sed negatio illa mensura, vt dixi, apprimè exprimit formale illud æternitatis: qua ratione tempus, & æternitas opponuntur: nam sicut tempus non est solum duratio motus primi mobilis, sed etiam, vt ostendimus disp. 33. c. 2. duratio numerata, & definita per intellectum vt ipsa possit aliarum durationum esse mensura: sic contra æternitas est duratio, omni prorsus mensura carens.

Iob. 24.

Quare Iob 24. inquit, Ab omnipotente non sum abscondita tempora, hoc est, rerum aliarum durationes, quas tempora appellauit, quod tempore omnes numerentur, siue spirituales sint, siue corporales, vt disputatione illa dicitur. Subiungit, Qui autem nouerunt eum, ignorant dies illius, quasi dicat, qui veram Dei scientiam, & notitiam habent, sciunt diebus, aut annis eius æuam definiti non posse: quare dies illius ignorant, quia re vera definiti non sunt. Ex ijs, quæ diximus, non est argumentum pro aliqua opinione ex commemoratis, quod non possit facile refelli: ideo singulorum solutionibus super federe mihi visum est.

DISPVATIO XXXII.

An æternitati conueniat aliqua successio.

Certa apud omnes de hac re doctrina, cap. 1.

Oppositiones contra prædictam sententiam, cap. 2.

CAPVT I.

Certa apud omnes de hac re doctrina.

NVlla de hac re inter Doctores dissensio est: nam perfectam æternitatem, de qua hæctenus locuti sumus, existimant omnes totam simul, & sine aliqua successione esse. Quocirca Boethius in definitione illius non solum dixit, esse quandam vitæ possessionem interminabilem, sed perfectam & totam simul, hoc est, sine successione aliqua: aut, sicut explicauit S. Thom. vniformem absque vlla varietate. Quam definitionem eiusdem fere verbis tradidit Anselmus in Monologio c. 24. & est communis doctrina Patrum. Sic docuit Dionysius c. 10. de diuinis nominibus circa finem, Prosper in lib. Sententiarum Augustini, senten. 3. & 183. idem August. lib. 8. questionum 9. 19. his verbis: Non omne immortale facti subtiliter æternum dicitur: quia etiam si semper aliquid viuat, tamen si mutabilitatein patiat, non proprie æternum appellatur: & sermone 8. de verbis Domini ante medium, hoc inquit differre æternitatem à tempore, quod in tempore varietas in æternitate stabilitas est: in æternitate omnia stant; in tempore alia accedunt, alia succedunt.

Boethius.

S. Thom.

Anselmus, Dionysius, Prosper, Augustin.

Isidorus, Anselm, Nazian, Beda, Plato.

Hoc ipsum ex Augustino desumpserunt Isidorus lib. 7. Etymolog. c. 1. & Anselmus in prologo cap. 18. 19. & testantur Nazianzenus & Beda locis statim citandis: ex Philoophis vero diserte tradidit Plato in Timæo non longe à principio: de Deo enim inquit, Idcirco imaginem eam mobilem effingere decreuit, ac dum celum exornaret, fecit æternitatis in unitate manentis æternam quandam in numero fluentem imaginem, quam nos tempus vocamus.

Iuxta horum doctrinam, quæ scholasticis probatissima est, vt aliquid simpliciter, & proprie æternum dicatur, non satis est, si re ipsa principio, & sine careat: hoc enim licet æternum diceretur, vel potius ab æterno esse, eius tamen æternitas participata solum esset, & instar illius, quæ prima & vera est: cum enim in ea aliqua esset varietas, principio & sine ex parte definiti posset, vt si cælum, vel Angelus esset ab æterno, quamuis non in eorum substantia, in motu tamen, & operatione principium, & finis esset, ac proinde in motu cæli possemus, & annos, & menses, & dies designare, in Angelis vero has, & illas operationes principio, & sine terminatas, quas tempore possemus definire. At in Deo, quod veram, & primam æternitatem habeat, nec ex parte substantia, nec operationis principium, aut finis aliquo modo assignari potest. Quod si ipse Deus (quæ sua est omnipotentia) crearet aliquam ab æterno substantiam absque vlla prorsus variatione etiam secundum accidentia, & operationes in eodem statu permanentem, quæ videretur habere veram & propriam æternitatem, eius nihilominus æternitas esset participata, neque enim res illa eiusque duratio statum illum immutabilitas ex se haberet, cū suæ relicta nature variationi, & mutationi necessario subiecta esset.

Res ab æterno producta quæ modo æternitatem habere diceretur.

Ex eadem doctrina Richardus de Sancto Victore lib. 2. de Trinitate cap. 4. asserit, aliud esse sempiternum, aliud æternum. Sempiternum namque esse videtur (inquit ille) quod caret initio, & sine, æternum vero, quod caret vtroque, & omni mutabilitate. Subiungit vero, Et quamuis forsitan neutrum sine altero inuenitur, recte tamen inter nominum significationem distinguitur. Cum dicit Forsitan, vnum sine alio inueniri, non dubitat, an detur nunc re ipsa aliquod sempiternum, quod careat principio, & sine, & vere non sit æternum, sicut Deus neque n. dubitaret, nihil esse creatum ab æterno, sed dixit Forsitan, quia non satis constat, an fieri possit creatura ab æterno, in qua sempiternum sine æterno reperitur.

Ricardus.

CAPVT II.

Oppositiones contra prædictam sententiam.

CONtra doctrinam hæctenus traditam aliqua possunt opponi, quæ difficilia videntur. Primum est, de Deo iuxta omnem temporis differentiam vere prædicat Scriptura Fuit, est, & erit, Psalm. 109. Ante luciferum genui me, Proverb. 8. Ante omnes colles ego parturiebar. Apoc. 1. 11. & 14. Qui est, & qui erat, & qui venturus est. ad Hebr. 13. Iesus Christus heri, & hodie, ipse, & in secula. Est igitur in Deo æternitate aliqua successio: alioqui nec verba futuri, nec præteriti temporis ei possent accommodari. Huius difficultatis mentionem fecit Plato in Timæo, respondet autem his verbis, At qui erat, & erit, quis vna temporis species sunt, non recte æterna substantia assignamus. Dicimus n. de illa est, erat, & erit: sed reuera solum esse competit. Eadem fere verba habent Nazianzenus oratione 42. quæ est 2. in Pascha, & Eusebius lib. 11. de preparat. Euang. c. 7. post medium: vbi asserunt, rectius de Deo dici, est, quam fuit velerit, Hoc ipsum docuit Aug. de vera, & falsa religione c. 49. & in illud Psal. 101. In generatione, & generationem & lib. 84. questionum q. 19. Afferunt vero Nazian. & August. illud Exod. 3. Qui est, misisti me ad vos, vbi verbo presentis temporis perseuerantiam Dei, & stabilitatem perfectam in suo esse dicunt significari. Textus autem Hebraicus vitæ verbo futuri temporis, Ero, vt de-

Prima obiectio ex Scriptura. Psalm. 109. Proverb. 8. Apoc. 1. 11. & 14. Ad Hebr. 13.

Plato. Repondetur primo. Nazian.

Augustin. Nazian. Exod. 3.

notet